



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXVI. De Maledicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

querant aut bestias nocentes interficiant, *arg. cap. Numquam dist. 5.* sed etiam recreationis causa, aut, ut sanitatem recuperent & acuat appetitus, *arg. cap. Dilectus filius, ubi similis actus dicitur non illicitus, sup. De homicidio.* venari cupiant, si modò id debito tempore fiat sine clamore & modestè. Cujus

rationem jam ferè dedimus, quòd venatio sit res velut indifferens, ideoque ratione circumstantiarum, id est, personæ, causæ finalis, temporis & modi reddatur licita vel illicita. Archid. & alii *can. Qui venatoribus 86, dist. Videatur Concil. Trident. cap. 12, Sess. 24, De reform.*

IN TIT. XXV. DE CLERICO PERCVSSORE.

Nihil minùs etiam convenit Ecclesiasticis, quàm ut sint percussores seu proni ad verbera manum non abstineant: proinde si correpti non desistant, non solum vulgares Clerici ab officio deponuntur, *cap. 1, h. tit.* sed etiam Episcopus, cujus jussu scævina quædam crudelius, quàm par est, verberibus fuit excepta, à divinis suspenditur, *cap. 2, h. t.* Decet enim ut Clerici præ cæteris hominibus sint mansueti, juxta illud

Pontificis, *Pastores facti sumus, non percussores.* Plus proinde erga corripiendos operetur benevolentia, quàm severitas, plus blandimentum, quàm asperitas, *can. Quod autem can. Licet 45, dist. 1. Afserit interim Pont. in cap. 1. & 4, h. tit.* quòd Clericus ut homicida puniri non debeat, si pro repellenda violentia in conflictu quidem fuerit, sed ipse neminem læserit.

IN TIT. XXVI. DE MALEDICIS.

SUMMARI A.

1. *Blasphemus quis dicatur.*
2. *Derisio qua.* 3.
4. *Detractio.* 5. *Convitium.*
6. *Improperium.* 7. *Sufurratio.*

Non solum qui manu vel telo quempiam percutit, injuriam infert, sed magis ille, qui linguâ, juxta illud Sapientis, *Plaga virga inducit livorem sed plaga lingua frangit ossa.* Virtutum sanè, quod ut maximè repugnat mansuetudini in Clero requisitæ, ita varios habet & modos & species, nempe blasphemiam, derisionem, contumeliam, improperium, detractionem & sufurrationem.

- 1 Blasphemus ille est, qui (quod absit) maledicit Deo, aut etiam Sanctis ejus, sive illud faciat ipsius bonitati aliquid detrahendo, sive aliquid, quod in ipso nò est, attribuendo sive imprecando, vel aliâ ratione: cujus delicti gravis admodum pœna statuitur in *c. 2, h. t.*
- 2 Atque ut alias species, quarum diversitas à modo & à fine potissimum dependet, obiter perscrutemur, Derisio tunc est, quando quis malum culpæ vel pœnæ objicit, eo nimirum animo, ut proximum contristet ac erubescere faciat.
- 3 Contumelia verò, quando quis palam & in facie culpam objicit, ut honor ipsius ac reverentia

debita auferatur vel diminuatur, *l. 1, D. De injuria.*

Detractio, cui & murmur affine, est, quando hoc ipsum sit secretò, ut fama absentis lædatur, veluti si dicat esse furem.

Convitium est, dum quis vel culpam objicit, vel alium naturæ defectum, à quo tamen nec laudamur, nec vituperamur, veluti si dicat esse cæcum aut gibbosum, *l. Si non convitii C. De injuria.*

Improperium est, quando quis verbo vel etiam signo objicit alicui egestatem, maximè beneficium tempore necessitatis impensum, juxta illud Terentii, *istac commemoratio est quasi exprobratio in memoriam beneficii.*

Denique Sufurratio est, dum malum vel defectus objicitur, ut lædatur amicitia, & introducatur discordia. Quæ sanè omnia maledicta sive opprobria, si fiant inordinatè & animò lædendi, pro varietate circumstantiarum & excessu in modo vel mortalia vel venialia peccata sunt, quæ non solum reddunt auctores suos obnoxios restitutioni, sed etiam in foro exteriori nunc acrius nunc mitius puniuntur, sicut in *c. 1, h. t.* qui perulant linguâ maledicit Pontifici, arbitrio Ordinaris acriter castigatur. Quamquam ab hoc delicto excusentur Superiores, qui vitia seu culpam objiciunt correctionis causâ, non ut lædant: quibus interim illud Ciceronis *lib. 1, de Offic.* in mentem venire debet, quòd omnis animadversio & castigatio contumeliâ vitare debeat.

IN TIT.